COLLECTION DE TEXTES

POUR SERVIR A L'ÉTUDE ET A L'ENSEIGNEMENT DE L'HISTOIRE

RAOUL GLABER

LES CINQ LIVRES DE SES HISTOIRES

(900-1044)

PUBLIÉS PAR

MAURICE PROU

PARIS

ALPHONSE PICARD, ÉDITEUR

Libraire des Archives nationales et de la Société de l'École des Chartes

82, RUE BONAPARTE, 82

1886

sepultus quiescit. Willelmus quoque Pictavorum dux sub eodem tempore vitam finivit [1]. Pontifices item in Galliis quinque religiosiores a seculo excesserunt : Manasses videlicet vir sanctitate plenus, Trecorum episcopus, et Gislebertus Parisiorum necnon et Iebonius Catalonorum cum aliis pluribus. Inter quos etiam bonę memorię sanctus videlicet Maiolus [2] apud Silviniacum [3] cœnobium vitę presentis est terminum consecutus; cujus scilicet vitę honestate preciosus etiam commendat transitus. Nam ad illius famam sanctitatis confluxere ex universo Romano orbe viri et mulieres utrorumque ordinum plurimi, exinde referentes diversarum infirmitatum gratiam sanitatis. Deseviebat eodem tempore clades pessima in hominibus, ignis scilicet occultus, qui quodcumque membrorum arripuisset exurendo truncabat a corpore ; plerosque etiam in spatio unius noctis hujus ignis consumsit exustio. Sed cum in plurimis sanctorum memoriis hujus tremendę pestis sint inventa remedia, maximus tamen concursus factus est ad trium sanctorum confessorum ęcclesias, Martini scilicet Turonorum atque Odolrici Bajoariorum, necnon et istius venerabilis patris Maioli, optatęque salutis inventa sunt beneficia.

VIII. DE HEINRICI DUCIS MORTE ET VASTATIONE BURGUNDIĘ [4].

15. Igitur anno tertio de supradicto millesimo [5] moritur in Burgundia dux Heinricus apud Castrum Pulliacum super

1. Guillaume Fier-à-Bras mort en 993.
2. Maïeul, abbé de Cluny, mort en 994.
3. Souvigny, dép. de l'Allier, arr. de Moulins.
4. Voyez pour le commentaire de ce chapitre Pfister, *Etudes sur le règne de Robert-le-Pieux*, l. III, c. II, p. 246 et suiv.
5. M. Pfister, *ouvrage cité*, p. 255, pense qu'il faut traduire l'an 1002. Odoran (*Rec. des histor. de France*, t. X, p. 165) et les Annales de Sainte-Colombe (*Monum. Germaniæ histor.*, Scriptor., t. I, p. 206) rapportent à 1002 la mort du duc Henri; mais la Chronique de Verdun (*Rec. des histor. de France*, t. X, p. 206) donne la date de 996. Quoi qu'il en soit je crois qu'il faut traduire l'expression *anno tertio de supradicto millesimo* par la 3e année avant l'an 1000, c'est-à-dire l'an 998 ou 997. Au chapitre précédent, les personnages dont Raoul indique la mort aux environs de la 7e année de l'an 1000, « *septimo de millesimo anno*, » sont morts avant l'an 1000; et de plus

Ararim fluvium [1], sepultureque Autisiodori apud eximium confessorem Germanum traditur octobrio mense [2]. Sequente vero mense decembrio, vespere sabbati ante diem dominice Nativitatis, aparuit in aere portentum mirabile, species videlicet seu ipsa moles immensi draconis, a septemtrionali plaga egrediens cum nimia coruscatione petebat austrum. Quod prodigium pene homines universos qui videre infra Gallias terruit. Sequenti denique anno ascendit Rotbertus rex in Burgundiam cum magno excercitu pugnatorum, ducens etiam secum Ricardum Rotomagnorum comitem cum triginta milibus Normagnorum, quoniam Burgundiones ei fuere rebelles, nolentes eum suscipere in civitatibus et castris, quę fuerant ducis Heinrici, ejus videlicet avunculi; quin potius sibi in proprias divisere partes. Deveniens quoque primitus rex cum omni excercitu civitatem Autisiodorum, eam obsidione circumdedit [3]. Qui diu ibi crebris assultibus fatigatus residens non adversus eam prevaluit, quę fertur numquam fraude vel hoste fuisse decepta. Relicta namque civitatę, rex cum universo bellico apparatu convertit se ad castrum beati presulis Germani expugnandum quod munito aggere prepollens heret civitati. Vallaverat enim illud Landrici comitis [4] excercitus, necnon ejusdem loci familiares viri, hostium siquidem metuentes sacri gregis diremtionem. Occurrit interea furenti regi Odilo, venerabilis abba Cluniensis monasterii, cupiens intervenire partes utrasque siquidem ut regi exiberetur honorificentia, solidaretur concordia principum, pax patrię firmaretur. Qui minus posse fieri cernens quod decreverat, hortabatur fratres octo tantum numero qui ad confessoris custodiam relicti fuerant (nam ceteros cum suo abbate Hilderico

---

l'auteur annonce au début du 3e livre qu'il aborde le récit des évènements postérieurs à l'an 1000; enfin, au chapitre IV du livre III, voulant désigner l'an 1002 ou l'an 1003, il dit « infra... millesimum tercio... anno. » Voyez dans le *Rec. des histor. de France*, t. X, la note *a* de la page 13.

1. Pouilly-sur-Saône.
2. Le 15 octobre d'après les Annales de Sainte-Colombe.
3. Cf. *Historia episcoporum Autissiodorensium* dans *Rec. des histor. de France*, t. X, p. 171; *Gesta abbatum Sancti Germani*, *Ibid.*, p. 189; *Breve Chronicon Autissiodorense*, *Ibid.*, t. XI, p. 270. Voyez Pfister, *ouvrage cité*, p. 257.
4. Landri, comte de Nevers.

nomine jussio regis inde exire conpulerat) ut orationi instarent assiduę, si forte Domini pietas eos pariter et locum a tanta obsidione dignaretur eripere.

16. Sexto igitur obsidionis die inlucescente, nimio rex arreptus furore, indutus lorica simul et galea, omnemque excercitum dictis exacuens, habens etiam secum Hugonem [1] ejusdem urbis pontificem, solum ex omni Burgundia parti regis faventem. Eidem namque regi in procintu jam constituto, occurrit supradictus abba Odilo, illum increpans ejusque primates redarguens [2] cur adversus tantum Dei pontificem, scilicet Germanum, hostili manu insurrexissent; cui specialiter, ut in Gestis illius invenitur [3], usui fuit Dei auxilio et bella compescere plurima et regum ferocitati resistere. Cujus verbis minus auditum prebentes quo tendebant pervenerunt, cingentesque supradictum castrum in coronę modum, certatim illud expugnaturi prelium inierunt, alternis quoque partibus diu multumque decertantibus, domus suę parti Dei subito adfuit presens auxilium. Nam ejusdem castri universa capacitas ita repleta est in hora prelii teterrima nebula ut nemini hostium a foris pervius foret jaculandi aditus, cum ab intro repugnantibus cernerent se gravi cede prosterni. Sicque cum suorum maxime Normagnorum concisione dimiserunt castrum incolume, quos, licet tarde, penituit adversus magni meriti locum arma sumpsisse. Contigit etiam ut hora qua regis excercitus adversus locum sacrum certamen inire cępisset, vir religiosus Gislebertus, ejusdem loci monacus super altare Beatę Marię semper virginis, quod decentius ceteris in vertice ejusdem constat ęcclesię, quemadmodum hora dici tercia cotidie consueverat, missarum sacramenta celebrare inciperet. Quod scilicet factum satis cęlitus prestitę congruit victorię. Sequenti igitur die egrediens rex

1. Hugues, fils de Lambert, comte de Chalon-sur-Saône, et d'Adelaïs d'Arles, sœur de Constance, femme du roi Robert, avait été sacré évêque d'Auxerre le 5 mars 999; il mourut en 1039.

2. Le ms. lat 10912 donne *reduguens* corrigé en *redarguens* par le ms. lat. 6190.

3. Le ms. lat. 10912 porte *anvenitur*, corrigé en *invenitur* par le ms. lat. 6190.